

T26

Annales XII, 66-69

La morte di Claudio

66 (1) In tanta mole curarum valetudine adversa corripitur, refovendisque viribus mollitia caeli et salubritate aquarum Sinucessam pergit. **(2)** Tum Agrippina, sceleris olim certa et oblatae occasionis propera nec ministrorum egens, de genere veneni consultavit, ne repentina et praecipiti facinus proderetur; si lendum et tabidum delegisset, ne admotus supremis Claudius et dolo intellecto ad amorem filii rediret. **(3)** Exquisitum aliquid placebat, quod turbaret mentem et mortem differret. **(4)** Deligitur artifex talium vocabulo Locusta, nuper beneficii damnata et diu inter instrumenta regni habita. **(5)** Eius mulieris ingenio paratum virus, cuius minister e spadonibus fuit Halotus, inferre epulas et explorare gustu solitus.

67 (1) Adeoque cuncta mox pernotuere ut temporum illorum scriptores prodiderint infusum delectabili boleto venenum, nec vim medicaminis statim intellectam, socordiane an Claudii vinolentia; simul soluta alvus subvenisse videbatur. **(2)** Igitur exterrita Agrippina et, quando ultima timebantur, spreta praesentium invidia provisam iam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet. **(3)** Ille tamquam nesus evomentis adiuvaret, pinnam rapido veneno inlitam faucibus eius demisisse creditur, haud ignarus summa scelera incipi cum periculo, peragi cum praemio.

68 (1) Vocabatur interim senatus votaque pro incolumitate principis consules et sacerdotes nuncupabant, cum iam exanimis vestibus et fomentis obtegeretur, dum quae res forent firmando Neronis imperio componuntur. **(2)** Iam primum Agrippina, velut dolore victa et solacia conquirens, tenere amplexu Britannicum, veram paterni oris effigiem appellare ac variis artibus demorari ne cubiculo egredetur. **(3)** Antoniam quoque et Octaviam sorores eius attinuit, et cunctos aditus custodiis clauerat, crebroque vulgabat ire in melius valetudinem principis, quo miles bona in spe ageret tempusque prosperum ex monitis Chaldaeorum adventaret.

69 (1) Tunc medio diei tertium ante Idus Octobris, foribus palatii repente diductis, comitante Burro Nero egreditur ad cohortem, quae more militiae excubii adest. **(2)** Ibi monente praefecto faustis vocibus exceptus inditur lectiae. **(3)** Dubitavisce quosdam ferunt, respectantis rogiantisque ubi Britannicus esset: mox nullo in diversum auctore quae offerebantur secuti sunt. **(4)** Inlatusque castris Nero et congruentia temporis praefatus, promisso donativo ad exemplum paternae largitionis, imperator consulatur. **(5)** Sententiam militum secuta patrum consulta, nec dubitatum est apud provincias. **(6)** Caelestesque honores Claudio decernuntur et funeris sollemne perinde ac divo Augusto celebratur, aemulante Agrippina proaviae Liviae magnificentiam. **(7)** Testamentum tamen haud recitatum, ne antepositus filio privignus iniuria et invidia animos vulgi turbaret.